NOS ELISABET PRIMA, DEI GRATIA IMPERATRIX ET AVTOCRATOR OMNIVM RVSSIARVM.

etc. etc. etc.

OMNIBVS, QVORVM INTEREST:

Bina Rex Prussiae edicta typis impressa, Ministro vsus Comite Dona, proponi publice et per Poloniam circumferri iussit, quorum in altero Iun. XV, n. st. causatus est, se necessitate coactum iussisse partem exercitus Sui, ductu Comitis supra dicti illustrissimae Reipublicae fines ingredi, simulque petiit a Nobilibus, praediorum dominis, itemque a magistratibus oppidorum, quae sita sunt contra terras Brandeburgicas, ad fines vsque Posnaniae vlteriores, vt commeatum, frumentum, pabulum et cetera, quae sunt sustentando exercitui XLM. armatorum et eo amplius necessaria, sufficerent; suamque in ea re obstrinxit fidem, omnia praesenti pecunia persolutum, neque quicquam inuitis ademtum iri, nisi si imperata facere abnuissent, quo quidem casu se per suos milites negotium illud administraturum esse.

Altero edicto Iun. XXII n. st. quod quasi supplementum prioris est, continentur haec:

Cum Prussorum exercitus iam in limine, partimque fines Polonorum ingressus sit, velle atque iubere Regem, omnes nationis dynastae, episcopi, antistites, abbates, praediorum domini, magistratus, omnes denique incolae, vel ipsi, vel eorum legati vt appareant sine mora in praetorio Prussici exercitus, quo ea, quae ad rem frumentariam pertinent, recte constituantur, militesque a vexatione ciuium arceantur:

Regem porro fidei Polonorum multum tribuere, atque in ea opinione versari, eos neque cuiquam deserendi exercitus auctores fore, neque viam elabendi monstraturos, neque fugitiuos celaturos, aut apud semet commorari passuros esse, ne malum ex ea re sua sibi culpa arcessant: contra ea, si quem desertorem nanciscantur, eum ex fuga retracturos, atque ad primas stationes, vel ad praetorium amandaturos esse confidere, et operae fore praemium.

Tum qui Regi Prussorum sacramento semet obstringant, alliciuntur pactione certa et spe pretii: Denique iam non singuli, sed ordines, Reique publicae principes inuitantur, atque vt in causam descendant, cogant copias, et vel agminatim vel turmatim semet cum Prussico exercitu coniungant, admonentur.

Superiore iam hieme Prussorum Regis edictum prioris illius simillimum in publicum emanauit. Verum enim vero quum Vobersnouio, copiarum

copiarum, quas in expeditionem Polonicam acceperat, Duci nihil aliud propositum fuisse videatur, quam vt aliquot centena modiorum frumenti, quod ab incolis Posnaniae in vsum Nostri exercitus conuectum fuerat, corrumperet, hominesque liberos, liberae Reipublicae ciues, qui frumentum suum, suo arbitratu Nostro exercitui vendiderant, abstraheret velut obsides imperatae ob eam causam pecuniae; Sulkouium denique principem, vna cum ministris aulae ipsius, corporisque custodibus captiuum duceret, causae nihil esse videtur, quamobrem minas istas, quae nunc iactantur, moremur.

At alterum illud edictum ea arguit consilia, quorum successibus vniuersa Polonia in easdem, quibus nunc premitur Megalopolitanorum et aliae Germanici Imperii prouinciae, incidere possit calamitates. Si penuria vel hominum, vel argenti, aut vicinitas, Prussorum Regi sufficiunt ad vexandas, quae bello absunt, Imperii prouincias, ad extorquendas exactiones intolerabiles, atque ad homines sacramento adigendos, profecto Polonia ab iniuriis haud intacta mansisset, etiamsi Noster exercitus eius fines nunquam intrasset. Quid enim aliud sibi volunt edictiones illae, quibus vastitate terret regiones pabulo ceteroque commeatu vacuas, nisi ius arroganter vsurpatum gerendi Nobiscum impensis Reipublicae belli? Nonne, quum malum minatur, quicunque viam aufugiendi pandunt, aut fugitiuos celant recipiuntue, periculum est, ne illustrissima Polonorum Respublica idem fatum subeat, quod princeps Sulkouius iam expertus est? neque enim est dubium, quin, qui insimulat, excusationi locum relinquere aut iure grassari nolit, atque ab exsecutione ordiatur.

Ceterum Regis Prussiae plurimum referre, omni conatu viribusque defendere fugam militum suorum, ex quo pedem in Polonia posuerunt, perspicuum est; sunt enim eius copiae magna ex parte coactae ex illarum regionum incolis. Apparet autem vel caeco, praetexendo transfugas supplementum quaeri militum; cuius rei testis esse potest vel Sulkouius, satellitibus eius in numerum Prussicorum militum transcriptis.

Mittimus auctoramentum, quod pollicetur, et pactionem cum militibus conscribendis: satis enim certi sumus, sollicitationibus atque pollicitationibus istiusmodi captum iri neminem.

At cum ad arma vocat Principes, Reipublicae Ordines, eorumque causam cum sua consociare iubet, Nos equidem multum tribuimus amicitiae Regni Reique publicae Nobis vicinae, magnamque ponimus fiduciam in fide, quam patriae suae debent ciues; quos equidem non adeo rerum ignaros existimamus, vt ipsi sponte sua ad amicitiam semet aggregare, aut viribus suis iuuare velint copias, quae ea maxime fini Poloniam intrarunt, vt compendium faciant ex impendio Reipublicae, cum interea ex transitu et commoratione nostrarum copiarum ingentem capiant quaestum.

Quid mali, quantum calamitatis ex tali societate oriri necesse sit, omnes, qui non sunt caeco mentis errore abrepti, augurari facile

possunt;

possint: Republica in partes distracta fratres armabuntur in praelia contra fratres, ciuesque ciuium sanguine adspersi hinc a nostro exercitu, illinc a Prussis in commune caesi occidione delebuntur.

Ceterum etsi maximae ad[illegible]ac Nobis curae fuit transitum atque commorationem Nostrarum copiarum praestare innoxiam, Reique publicae salutem ac libertatem, nec non sociorum et amicorum Nostrorum caussam constanter tueri, atque haec omnia ea fini, vt, quum primum, qui iniuria laesi sunt, restituti fuerint in integrum, pax concilietur firma, stabilis, gloriosa; tamen, si qui sint, cui Regis Prussiae causam tueri ausi fuerint, in eos, tanquam caeco impetu in suam patriaeque perniciem ruentes, arma Nostra vertere decreuimus.

Quaecunque in hac causa suscepimus tuenda, ea a puro et sincero animi affectu profecta esse certi sumus. Copiae quidem Nostrae in ditionem Polonorum ingressae sunt, sed non eo consilio, vt accessione virium alienae gentis, quae sui iuris et ab hoc bello vacua est, robustiores fierent. Itaque si qui temerario ausu foedera, patriae suae aduersa, inter se iunxerint, aut a partibus Prussorum steterint auxiliisue iuuerint, eos tanquam caeco impetu in perniciem suam ruentes acerrimo, sed tamen pio, veluti Nostros patriaeque suae hostes, bello persequi certum est.

Contra ea quicunque fidem, quam patriae debent, seruauerint inuiolatam, sectando neutras partes, eos tueri omnibus viribus et a quauis iniuria defendere statuimus. Illustrissimae enim Poloniarum Reipublicae libertatem, iura ac praerogatiuas sarta tecta integraque non solum praestare, sed etiam, quoad eius fieri potest, augere Nobis propositum est.

Ex suburbio Petrino Iul. 2. 1759.

(L. S.)